

BERNHARDVS LVTZELVVRGIVS DOMINICANVS.



Bernhardus apud Belgas natus, & in omni genere literarum à pueris institutus est. Postea uero cum adoleuisset, ordinem Dominicanorum suscepit, atq; pietati & studijs summa diligentia in cumbere statuit. Hac ratione monachus factus Theologiæ præclaram operam nauauit, & doctissimis uiris Coloniæ adnumeratus fuit anno 1516. In terea quoq; Bernhardus Catalogū hæreticorum scripsit, atq; tractatū de purgatorio adiecit. Librū quoq; in commendationem Iosephi spōsi Christi-feræ uirginis & nutritiū Domini nostri Iesu Christi composuit, atq; Colonię edidit. In primis uero hic Bernhardus sese Lutheri conatibus opposuit, atq; Catholicam religionem animose apud Belgas defendit. Itaq; factum ut cunctis innotuerit, atq; magnam nominis sui famam adeptus fuerit. Tandem uero obiit, & apud suos honorifice sepultus fuit. Anon.